

STUDIA VARIA

DE INSTITUTIS SAECULARIBUS HUCUSQUE APPROBATIS (aa. 1947-1956)

Promulgatio Const. Apost. « Provida M.E. », die 2 februarii 1947, circa novissimum statum perfectionis, Instituta saecularia nempe, magnus absque dubio eventus censendus est, etiam pro scientia Iuris Canonici. Praelaudata Const. ansam praebuit, prioribus praesertim annis, plurimis commentariis iuridicis, maioris vel minoris amplitudinis et momenti, ut ex bibliographia in hac ipsa Ephemeride edita colligi potest (1). Sed non tantum commentaria aut scripta doctrinalia in Const. « Provida M.E. » prodire, verum etiam de plurimis singillatim Institutis, de eorum numero, historia, natura, constitutione, propagatione, etc., nonnulla edita sunt, ut videre est apud *Beyer, Documentation Catholique, Katholiek Archief, Escudero*, etc. (2).

Iam vero non omnia hac de re, recte scripta fuerunt; nam cum de singulis Institutis pertractatur, sermo etiam quandoque fit de nunnulis Congregationibus religiosis, quae habitu carent, vel de Associationibus et Piis Unionibus sacerdotum aut fidelium, vel de personarum coetibus, nondum ab aliqua auctoritate approbatis, eo quod aliquam similitudinem prae se ferunt Institutorum saec. Hoc tamen, si opportuna distinctiones omitantur, aliquam confusionem et errorem inducere potest sive circa numerum sive circa naturam Institutorum saec.; nam tamquam Instituta saec. accipi possunt verae Congregationes religiosas vel simplices Associationes fidelium, aut etiam fidelium coetus, qui licet formam Institutorum saec. induant et iuridicam recognitionem exoptent, de eorum tamen exitu nihil praevideri potest.

Ideo ab aliquibus lectoribus et sodalibus Institutorum saec. rogati sumus, ut in Ephemeride « *Comm. pro Rel.* » informationem seu notitiam

(1) *CpR.*, 33 (1954), p. 353-357; 34 (1955), p. 81-85.

(2) *CpR.*, 34 (1955), p. 193.

unde quaque fidedignam traderemus eorum Institutorum saec. quae ad normam Const. Apost. « Provida M.E. » erectionem canonicam adeptae sunt.

Fatemur rem difficultate non carere, ratione potissimum legis de secreto, plus minusve stricte servando, qua sodales Institutorum saec. adstringuntur. Sed auxilio eorum quae hac de re huc illuc scripta sunt, et ope praesertim ipsorum Institutorum saec., quae directe adivimus (et quibus iterum gratum animum ostendimus) et notitiarum authenticarum aliunde a nobis exquisitarum, informationem, in quantum possibile sit, completam lectoribus tradere curavimus.

Enumeramus imprimis Instituta quae ab auctoritate ecclesiastica aliquam acceperunt recognitionem iuridicam. Dein percurramus singula Instituta sive (I) *iuris pontificii*, onestata (a) approbatione definitiva, aut saltem (b) decreto laudis, sive (II) *iuris dioecesiani*, seu quae ab Ordinariis locorum iuridice erecta sunt, postquam « nihil obstat » seu licentiam ad legitimam erectionem obtinuerunt a S. C. de Rel. (Cfr. « Provida M.E. » Lex peculiaris, art. V). Nihil ergo dicemus de illis Associationibus quae nullam adhuc habuerunt iuridicam Ecclesiae recognitionem ad normam Cont. « Provida M.E. », licet forsam gaudeant natura Associationum fidei ad normam Iuris.

Hanc enumerationem complemus summaris notitiis historicis de singulis Institutis. Adiungimus tandem finem seu scopum specificum Instituti, nam, iuxta M.P. « Primo Feliciter » (II) Inst. saec. « apostolatum exercent non tantum in saeculo sed veluti ex saeculo, ac proinde professionibus, exercitiis, formis, locis, rerum adiunctis saeculari huic conditioni respondentibus »; et plura adsunt Instituta quae professionem *specificam* saecularem exercent, uti intellectualem, infirmariam, operariorum, actionis socialis, etc. (I).

(I) Associationes Piae, Societates vitae communis, imo et quaedam Congregationes Religiosae quae his decem annis expostularunt a S.C. de Religiosis erectionem vel transformationem, respective, in Institutum saecularem numero 175 fere attingunt. Ex Associationibus et Societatibus vitae communis, examini subiectis, plurimae agnitae quidem sunt ut Instituta saecularia; aliae e contra, ad sectionem Congregationum Religiosarum remissae fuerunt, quia harum naturam potius quam Institutorum saeculariorum induere visae sunt; aliquae tandem condicionem Associationum Piarum non superare existimatum fuit, et proinde vel delatae fuerunt ad S.C. Concilii vel quomodocumque in propria condicione remanent.

I. — INSTITUTA SAECULARIA IURIS PONTIFICII

A) *Instituta saecularia definitive approbata* (2)

1. Societas sacerdotalis Sanctae Crucis et Opus Dei.
2. Institutum Teresianum.
3. Societas Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu.
4. Societas Cordis Iesu.
5. Missionariae Regalitatis Domini Nostri Iesu Christi.
6. Filiae Reginae Apostolorum.

B) *Instituta saecularia Decreto Laudis approbata*

7. Institutum Dominae Nostrae a Labore.
8. Societas S. Pauli.
9. Institutum Beatae Mariae Virginis a Via.
10. Missionariae Infirmorum.
11. Unio Caritas Christi.
12. Apostolae Sacri Cordis Iesu sub tutela S. Francisci Xaverii.

II. — INSTITUTA SAECULARIA IURIS DIOECESANI

13. A.R.A. Amor. Reparatio. Apostolatus.
14. Sorores marianae Apostolatus catholici Schoenstattensis.
15. Servi Sanctae Ecclesiae.
16. Unio Catechistarum Ss.mi Crucifixi et Mariae Ss.mae Immaculatae.
17. Institutum Dominicanum Ss.mi Iesu Crucifixi.
18. Societas S. Teresiae a Iesu Infante.
19. Institutum Carmelitanum Dominae Nostrae a Vita.
20. Societas Dei Infantis.
21. Filiae Sancti Nominis.
22. Filiae Sacrorum Cordium Iesu et Mariae.
23. Unio Filiarum Dei.
24. Discipulae Domini.
25. Societas magisterii et apostolatus paroecialis.
26. Institutum Sacratissimi Cordis Iesu.

(2) Ex titulis qui sequuntur aliqui desumpti sunt ex Decretis approbationis quae ad nos pervenerunt; ceteri a nobis in latinam linguam translati sunt (nempe num. 7, 12, 25, 27, 30, 31, 34, 35, 36, 40, 43, 45-48). In decursu articuli trademus etiam titulos originarios in lingua vulgari.

27. Institutum masculinum « D. Nicola Mazza ».
28. Parvae Apostolae caritatis.
29. Servae fideles Iesu.
30. Foedus in Iesu per Mariam.
31. Missionariae Regalis Sacerdotii.
32. Missionarii Regalitatis Domini Nostri Iesu Christi.
33. Filiae Nativitatis Mariae.
34. Institutum Oblatorum a Verona.
35. Sacra Crucis Militia Evangelica.
36. Catechistae Servae Iesu.
37. Milites Christi.
38. Institutum Sororum S. Catherinae.
39. Ancillae Sanctae Ecclesiae.
40. Instructrices Sociales.
41. Institutum Coenaculi.
42. Sancta Militia Iesu.
43. Missionariae Assistentes Sociales.
44. Societas Ancillarum Christi Regis.
45. Pia Associatio « Caritas ».
46. Missionariae Saeculares.
47. Dominae a Nazareth.
48. Missionariae Dominae Nostrae a Monte Carmelo.

Nota — A duobus aliis Institutis saecularibus iuris dioecesani notitias accepimus, sed ipsorum rogatu, silentio ea praeterimus.

(*Prosequetur*)

N. GIL, C.M.F.